



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

52. De tribus titulis in cruce.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

(67)

Plebs Hebræa suam Crucifixi in stipite legit,
Græca suam vidit, gensquè latina suam.
Una Deo laudes Hebræa recensuit Uni,
Nunc Triadi linguis gloria danda tribus.

N. quòd hoc nomen puta JESUS Nazarenus &c. hebraicè, græcè, latinè scriptum erat, hoc est quod Apost. dicit: omnis lingua confiteatur, quia JESUS Christus in gloriâ est Dei Patris. Beda in Luc. 23. (a) hæ tres lingue præ cæteris eminebant. Hebræa propter Judæos in lege gloriantes, græca propter gentium sapientes, latina propter Romanos omnibus parè gentibus tunc imperantes velint nolint ergo Judæi, JESUS Rex Judæorum est, hoc est, imperator credentium & confitentium Deum.

SYMBOLUM 52.

Tres tituli in Cruce

JESUS, Nazarenus, Rex

Regalis titulus Jesu tibi convenit iste,
Debetur probris gloria tanta tuis.
Ista triumphalem signant cognomina pompam,
Quæquè trophæa Deus de Phlegetonte tulit,
Unde tibi Judex titulus? Trias auctor ab alto
Direxit calamum credo Pilate tuum.

SYMBOLUM 53. de eodem

Vix jam virgineâ felix hic furculus alvo
Prodierat, Bethleem gaudia prima videt.
Nazareth hunc ortum Jessæo germine florem,
Maturus fructus urbs solymæa capit.

Nem